Wojtowicki Alberti: [illegible] D. Andreae Szołdrski, Ep. Posn. instituti.

ΑΣΠΑΣΜΟΣ

Illustrißimo ac Reueren: Domino,

D. ANDREÆ SZOŁDRSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ

EPISCOPO POSNANIENSI:

Regni Senatori Maioris Poloniæ Lumini, &c. &c.

Suo ac Studiorum Patrono & Protectori Clementissimo.

Cùm

Felicißimè ab exteris Nationibus Posnaniam sui Episcopatus Sedem augustam rediret

INSTITVTVS.

A

M. ALBERTO WOYTOWICKI, Collegâ Minore, Professore Dialect: Nouoduorʃ. Contub: Philoʃ: Seniore.

CRACOVIÆ,

In Officinâ Typog: Valeriani Piątkowski, A. 1641.

In Patritium Simulacrum.



Ionium quisquis metitur classibus æquor,
Sæpè procellosis interit ille Notis.
SZOLDRSCIA nil passa est nullis iactata procellis,
Sit licet Hæreticis icta carina vadis
Hæreticas ergo cupiens vitare, procellas
Huc fuge SZOLDRSCIACA sub rate tutus eris.

Stanislaus Bedlinski
Capitaneides Musinen. Rhet: & Dial: Stud.

Ad dignitatem præstantiam & honorem veri Pastoris & Præsulis virtutum heroicarum laude cumulatißimi maximis naturæ & ingenij dotibus præstantißimi.

SVblime Regni Sarmatici decus,
Senator ingens, & Patriæ Pater,
Orbem Polonum qui suis fert
Pæné humeris: velut alter Atlas.
En saluus Vrbem Craciacam aduenit,
Dis sunto grates, nomine SZOLDRSCIVS
Quem fleuimus nuper remotum,
Corpore sanus adest Camænæ
Ergo Parenti plaudite Patriæ,
Pæana lætum dicite Principi,
Quod prosper ad nos integerq;
Ecce redit, redit ad nos Princeps.
Prodite Musæ Craciades Patri,
Prodite lætæ Pontifici inclyto,
Ornate prudentis sagacem
Sensum animi, validumq; robur
Virum eruditi laudibus ingeni,
Qui bellicosos nobilitat Lechos,
Et mancipantes se sibi effert
Remigibus super astra pennis

Quin Clari Olympi nutu aperit fores,
Et Regna Ditis, tristia Tartara
Occludit, ac manes profundos
Eripit Eumenidum flagellis.
Hic ille princeps incolumis redit,
Virtute dextrâ qui toties solo
Pericla propulsans ab omni,
Ac populis tribuit quietem
Hinc alma pax, hinc Relligio, & fides,
Instar nitentis Luciferi emicant,
Deoq; victori dicata
Legitimis titulis trophæa
Ergo eiâ nunc nunc Phæbe Pater, tuam
Chordis sonantem mille Chelym aureis
Pulsato plectris ter sonoris
Vota Deo recinasque grates: (VM
Regni Parentem quòd benè SZOLDRSCI
Seruauit orbi sarmatico integrum,
Cantato laudes ter sonorâ
Phæbe Lyrâ superûm Tonanti
Nouemque doctas Gorgonio iugo
Cogas Sorores, pro Patre SZOLDRSCIO
Reddant Tonanti verba grata,
Sertaque florida dent Olympo

Hic

Hic ille Princeps qui Patriæ bona
Dúm cuncta Caræ prouidet aureus
Dextrè, secundo flore Laurum
Nostram etiam fouet, & perennat.
Et Tu Tonanti Diua propinquior
Quæ Regna Cælo cúm superis tenes,
Et Sceptra Regnorum beas. Fac
Relligio sacra, Coge Mysten
Cælo dicati fædere perpeti,
Vinctique lumbos Cælicolûm chori,
Pro restituto Principe eiâ
Sacra ferant Superûm Parenti.
Vrbs magna Posnæ, Tu quoq; cum Tuis
Fer vota cælo debita Ciuibus
Pro Patre grato qui tibi rem
Omnia commodaq; ordinauit.
Iuris paterni; Iustitiæ & tenax
Prouidit alto Consilio Viros,
Iniuriarum ne Tibi quid
Vis inimica, facessat vnquam.
Audi Parens Posnania debitos
Tuo Patri, cum Matre Academiâ
Reddas honores: & precare
Sole nouo noua quæq; fausta.

Magnis remugiat terra boatibus,
Nitrato & æther puluere scinditur,
Tellus ab ignibus calescat,
Luce nouâ recreentur arua.
Passim per vrbes flammiuomos tubos,
Ignes coruscos conglomerent foris,
Antistitis nauem tonando
Grande decus, columenque Posnæ.
Decantet orbi Tibia Principem
Saluum. Polonûm Tympana percrepent,
Clangor Tubarum murmure acri
Gaudia personet ære claro.
Cunctisque mundi partibus occinant,
Æuo perenni suauiter occinant
Dulces Camænæ tum Micantem (solē.
SZOLDRSCIACVM Lechicumque
Hic ille Princeps, hic Patriæ Pater,
Hic hic Senator, qui bené Conscius,
Quantum interest seruare Regno
Incolumem fidei columnam.
Semper proteruæ strenuus Hæresi
Litem mouenti fortiter obstitit,
Semper renascentis Chimæræ
Colla superba caputque pressit.

Debe-

Debetur illi gloria maxima
Integritatis Patriæ, & aureæ
Immunitatis. Iura debent,
Debet & Ecclesia ipsa eidem:
Virtute cuius nunc super incubat,
Et dignitatem sæpé vigil suam
Defendit, incursu à cruento
Tartareæ Stygiæq; cladis.
Est cur supremis magna Quiritibus
Fundamus omnes vota, diem prece
Purâ coronemus, secundi,
Materiem pretiumq; nunti.
Est cur Eoi Thuris odoribus,
Myrrhæq; guttis, & precibus sacras
Adimpleas ædes Parentis,
Cuncta supercilio mouentis.
Ille ille nostris Te reducem plagis
Misit, potentis qui arbitrio Patris
Orbemque, cælestesq; Sphæras
De nihilo fabricauit omnes.
Qui fata primus condidit ærea,
Suoq; fecit subdita nutui,
Et ferreâ labentis æui
In tabulâ seriem notauit.

Ille ille noſtris Te incolumem Deus
Reduxit oris, ille ab inhoſpitis
Tutatus, omnibus diebus,
Littoribus tumidoq; fluctu.
Tuas reuiſis nempe redux oues
Paſtor, Tvum Te nouit & eminus
Ouile anhelat, Clerus omnis
Poplite ſucciduo ſalutat.
Salue Dynaſtes Sarmatici Poli,
Salue Dynaſtes & Patriæ fauor,
Amica quem Serò aſtra nobis
Et ſuperi faciles dedêre.
Salue Tuorum gloria maxima,
Salue Tuorum Gemma fidelium.
Salue corulcum ſidus Orbis,
Sarmatici iubar & perenne.
Te Poſna geſtit cernere proſperum,
Quem Dædali velociùs Icaro
Redire certat, & patrito
Quàmpriùs excipere in theatro.
Omnis quieti littoris incola
Contendit orans; nunc licet optimé
Sperare, fortunâ inde primâ
Quæq; frui poterit Iuuenta.

Educta

Educta, (vates prætereo) Tuis
Delubra quantas auſpicijs piè
Grates loquantur. Non ijſdem
Subdita temporibus quibuſdam
Olim fuerunt Laomedontiæ
Arces, profundo Pergama de aggere
Erecta Neptuni Tridente, &
Æthereas prope fixa turres.
Fatalis eheu Machina longius
Cerni impotens, quam de ſuperum tholis
Tellure ſigeâ nutritus
Palladium regeret ſacerdos.
Non more Achillis, qui editus ex Dijs,
Pro Patriâ mox ipſe iubentibus
Heroicis allectus armis,
Cum Phrygio Duce dimicauit.
Sed victus audax occubuit, ſuos
At cæſus atro de exitio lares
Ciueſq; liberauit vnus,
Morte trahens humilem triumphũ.
Sic vrbs acerbis occidit, occidit
Troiana fatis occidit, occidit
Et ipſe Chiron, ſauciari
Tunc etiam potuêre Diui.

Quos viuet annos Ilion ô Tuum,
Quàm longa ducet ſecula. Poſteri
Præſul renarrabunt, iniqui
Sunt nec enim in Tua vota cæli.
Dictynna quamuis, & Thetidis fera
Proles Achilles, arma redintegret
Tuis, Tuæque haud molientur
Perniciem exitiumque Mitræ.
Non Ciuibus vis praua volentibus,
Non peruicacis cornua ſpiritus,
Sed candor, & patrita auitis
Relligio nitet in ſepulcris.
Serena Te Pax, Te pudor, & Fides
Et lex ſequuntur, grataque fauſtitas
Quas inter expedita cultu
Grata ſalus niueo refulget,
O clare cultor iuſtitiæ decus
Inſigne mæſtis, præſidium reis,
Et naufragantis inter Hydras
Naue Tuâ fidei Patrone.
Intaminatis dignus honoribus,
Dignus remotis Amphitryonij,
Scribi in coloſſis, altiusque
Dignus agi Ganymede, dignus

Augu-

Augusta latè vt Nomen in vltimas
Extendat oras gloria, fertilis
Quâ vel Tagus campos inundat,
Vel fluuius rigat auro Hydaspes.
Viue vsque bigas luna regat suas,
Agatquè tutos Præsule Te dies;
Posnaniensis grex ouilis:
Consilio & Pietate Pollens
Crescas perennis, Lux Patriæ Tuæ,
Integritatis præcipuum decus,
Vires resumas in senectâ,
Atque nouis reparare seclis
Vita perenni viuere dignior,
Si fors liceret viuere tamdiu
Per fata mortali, precarer
Myriades Tibi seculorum.
Nunc opto, quod fas, quodque homini sa-
Centena viuas secula, Patriæ (tis,
Ecclesiæ almæ profuturus,
Rebus opem dubijs ferendo.
Sedtempus horas irreparabiles
Nobis morari mobile non sinit,
Plectrum sonorum reddo Phæbo,
Hic Tua facta canat per Orbem

Magnisque tradat Vatibus altius
Te Te canendum. Mi satis est reor
Plausisse saluo. Nam Tuis par
Laudibus haud meus est Apollo.
Sed finiens has ingemino preces.
Viuas perennis. Matrem Academiam
Dignare Præsul summe Posnæ
Semper amore Tuo fouere.

In Stemma Vniuersitatis.

Antistes Crucibus Te Academica Sceptra salutant,
Vt priùs in Patriâ Carbasa soluis humo.
Verè qui Crucium portus tetigere beatos,
Tutior an portus quis queat esse Cruce.